



**Cursus theologici iuxta scholasticam huius temporis
Societatis Jesu methodum tomus ...**

Amico, Francesco

Duaci, 1640

Disputatio Vndecima. An Deus sit nominabilis nomine significante ipsum
sicuti est?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82000)

inter Theologos. Item definitur, Deum esse immensum, æternum, omnipotentem; cum tamen controuersum sit, quid de ratione immensitatis, æternitatis, & omnipotentiae sit. Cuius ratio est, quia potest aliquid ab Ecclesia definiri solum, an sit, non autem, quid sit. Ad argumentum in forma, nego variare Theologos, an Deus sit incomprehensibilis, quod tantum pertinet ad dogma fidei, sed tantum, quid Dei comprehensio sit, quod ad fidem non spectat.

33. Ad secundum respondeo, eodem modo Concilia definire, Deum esse ineffabilem, quo definiunt, esse incomprehensibilem: at sicut non definiunt esse incomprehensibilem, prout incomprehensibili-

tas negat omnem claram visionem de Deo, sed prout tantum negat adæquatam: ita definiunt, esse ineffabilem; non prout ineffabilitas negat omne verbum mentale, aut vocale de Deo, sed prout tantum negat verbum adæquatè exprimens. Effabilitas enim, vel ineffabilitas rei immediatè oritur ex cognitione eiusdem rei: igitur quæ ratione res est cognoscibilis, est etiam effabilis vel ineffabilis: cum igitur Deus clarè cognoscatur à beatis, clarè etiam effatur ab illis; quia tamen non cognoscitur adæquatè, nequit ab illis adæquatè effari; in quo sensu à Concilio Lateranensi definitur, Deum esse ineffabilem.

DISPUTATIO XI.

SECTIO VNICA.

*An Deus sit nominabilis nomine significante ipsum
sicuti est?*

I.  VÆSTIO supponit, Deum aliquo modo nominari posse, quod præter experientiam, ratio ipsa confirmat: nam quo pacto Deum concipimus, ita & illum nominare possumus, quia nomen sequitur conceptionem rei: est enim nomen signum rei conceptæ. Hoc ergo supposito, ulterius quærimus, an nominari possit, nomine significante, *sicuti est*, distinctè & quidditatiuè. Quæstio autem est tam de viatoribus, quam de comprehensoribus.

2. PRIMA sententia negat, Deum ab ullo viatore. aut comprehensore, quin neque ab ipso Deo nominari posse, nomine significante ipsum, *sicuti est*: est Bannez 1. parte quæst. 13. art. 1. concl. 2. Zumel ibidem quæst. vnic. concl. 4. Suarez lib. 2. de attributis Diuinis cap. 31. num. 18. Probatur, nam Deus capite *Firmiter* de summa Trinitate, & Fide Catholica, definitur *ineffabilis*; quod etiam colligitur ex Scriptura Prouerb. 30. & patribus, passim asserentibus, Deum nullo nomine exprimi posse.

3. Secundò: Probatur ratione, quia nomen ad hoc imponitur, vt audiens vi illius deueniat in notitiam rei significatæ: atqui nullum est nomen, vi cuius audiens deuenire possit in notitiam Dei, vt est in se: igitur nullum est nomen, quod Deum significare possit, vt est in se. Maior probatur, quia nomen est symbolum, quo vtimur ad rem medio nostro conceptu alteri significandam: ergo intrinsecus finis ipsius est, alteri significare rem, vt à nobis conceptam, & significando audientem ducere in notitiam rei conceptæ. Minorem ostendo, quia no-

men ducit audientem in notitiam rei significatæ, medio conceptu loquentis per nomen importato: sed conceptus loquentis per nomen importatus nequit ducere audientem ad intuitiuam notitiam rei à loquente conceptæ. Nam vel iste conceptus est abstractiuus, & nequit esse ratio cognoscendi rem intuitiuè, vel est intuitiuus, & nec iste potest esse audienti ratio intuitiuè cognoscendi rem, à loquente conceptam, tum quia nomen non manifestat audienti conceptum loquentis physicè & intuitiuè, sed moraliter, & abstractiuè; quia non manifestat illum, vt signum naturale, intrinsecam connexionem habens cum re significata; sed vt signum ad placitum, extrinsecam dumtaxat connexionem habens, ex mera voluntate instituentis, cum re ipsa significata. Tum quia non posset vi talis conceptus, intuitiuè cogniti, audiens intuitiuè cognoscere rem, à loquente conceptam, nisi talis conceptus esset idem cum re concepta, qualis est conceptus, quem Deus habet de seipso. Cuius ratio est, quia conceptus intuitiuus non continet obiectum realiter, sed intentionaliter; vnde non potest esse ratio videndi illud intuitiuè, nisi intellectui, ad quem comparatur vt species expressa, & vitalis imago. Atqui conceptus loquentis non est species expressa, & vitalis imago intellectus audientis, sed loquentis: nequit igitur, etiam vt intuitiuè cognitus esse audienti ratio intuitiuè cognoscendi rem à loquente conceptam. Ergo nequit clara visio, quam de Deo beatus habet, etiam vt apertè manifestata, esse alteri ratio intuitiuè cognoscendi Deum.

Bannez.

Zumel.

Suarez.

Concilium
Lateran.

Prouerb. 30.

Henricus.
S. Thomas.
Caietanus.
Ferrariensis.
Capreolus.
Richardus.
Palatinus.

4. SECUNDA sententia docet, posse quidem Deum nominari nomine significante ipsum, *sicuti est*, à Beatis, vel à Deo, non tamen à viatoribus. Est Henrici in summa art. 13. quæstione 9. S. Thomæ 1. parte. quæst. 13. art. 1. & 1. contra Gent. c. 31. Caietani. & Ferrariensis. locis præcit. Capreoli. in 1. dist. 22. quæst. 1. art. 1. Richardi. art. 1. quæst. 1. Palatii ibidem, & aliorum. Fundamentum est, quia potest unusquisque rem nominare, sicut intelligit: non potest autem nominare distinctius, quam ipse intelligat: possunt igitur Deus, & Beati, distinctè Deum intelligentes, distinctè ipsum nominare, sicuti est; non autem viatores, Deum distinctè non intelligentes. Consequentia constat. Prior pars antecedentis patet, nam quidquid concipimus intellectu, exprimere possumus voce; cum hæc sit instrumentum intellectus, & signum interioris verbi. Posterior probatur, quia nemo potest alteri tribuere, quod ipse non habet: ergo qui distinctè rem non concipit, non poterit illam alteri distinctè nominare; quia distincta nominatio supponit distinctam conceptionem: cum nihil aliud sit distincta nominatio, quam impositio nominis ad rem distincta conceptione significandam: vox enim non significat rem, nisi mediâ conceptione.

Scotus.
Rubio.
Ocham.
Gabriel.
Molina.
Vasquez.

5. TERTIA sententiâ asserit, non tantum beatos, sed etiam viatores posse imponere nomen, quod Deum significet *sicuti est*, esto viatores Deum non intelligent, ut est in se. Est Scoti in 1. dist. 22. quæst. unica. §. *His præmissis*. Rubionis quæst. 1. art. 2. Ochami, Gabrielis ibidem, Molinæ 1. p. quæst. 13. artic. 1. disp. 2. Vasquez ibidem disp. 57. cap. 2. Fundamentum est, quoniam mensura significationis nominum non est desumenda ex eo, qui nomen imponit, sed ex eo, qui nomen audit: ergo non solum possunt beati sibi mutuo, sed etiam viatores beatis nomina imponere, quæ Deum significant, *sicuti est*. Consequentia constat, quia licet nequeant viatores intelligere Deum quidditatiuè, ac proinde nequeat ipsis imponi nomen, Deum quidditatiuè significans, possunt tamen illum quidditatiuè intelligere beati: igitur potest ipsis à viatoribus imponi nomen, Deum quidditatiuè significans. Antecedens probatur, quia nomen non ordinatur ad exprimendum conceptum loquenti, sed audienti: ergo eius significatio non ordinatur ad imponentem, sed ad audientem. Confirmatur: nam de facto multa sunt nomina imposita ad significandas distinctas rerum quidditates, quas nos distinctè non cognoscimus. His positis,

6. DICO 1. Non repugnat Nomen, Deum quidditatiuè significans. Fundamentum est, quia ad hoc, ut nomen quidditatiuè rem significet, nil aliud requirit, quam ut imponatur ab eo, qui rem quidditatiuè cognoscit, cum tacito, vel expresso consensu eorum, qui eandem rem quidditatiuè etiam cognoscere possunt: sed beati cognoscunt Deum quidditatiuè; ergo saltem illi ex mutuo consensu possunt sibi nomen imponere, quod Deum quidditatiuè significet. Minor cum consequentia est nota. Maior, in qua est difficultas, probatur: quoniam vis Nominis non consistit, ut virtute aliquâ intrinsecâ audientem ducat in notitiam rei significatæ, sed tantum ut significatione extrinsecâ, orta ex institutione imponentis, audientes moraliter excitet ad rem significatam quidditatiuè cognoscendam: sed quodlibet nomen à beatis impositum ad Deum quidditatiuè significandum excitare eos moraliter potest ad Deum quidditatiuè cognoscendum, seu potius ad reflectendum supra idem significatum, à se quidditatiuè cognitum. Maior videtur per se nota, cum nomen ex impositione nullam accipiat intrinsecam vim, ratione cuius debeat audientem ducere in notitiam rei significatæ, nisi tantum denominationem extrinsecam, desumptam ex voluntate imponentis, à qua habet, ut sit signum moraliter excitativum ad notitiam rei significatæ.

7. Confirmatur, quia nomen non debet suâ significatione complere, sed supponere completam potentiam eliciendi notitiam rei significatæ; ergo non debet illam ducere in notitiam rei significatæ per intrinsecam virtutem, sed tantum per extrinsecam denominationem imponentis, ut signum ad placitum, sicut ramus viridis ducit in notitiam rei venalis. Consequentia constat, quia si nomen non debet esse, nisi tantum extrinsecum signum excitativum, supponens totam potentiam concipiendi rem significatam in audiente, non est, vade illi repugnet significatio Divinæ quidditatis. Antecedens probo, quia nomen eodem modo se habet respectu audientis post, atque ante impositam significationem, quoad intrinsecam virtutem: sed ante nullam habebat intrinsecam vim movendi potentiam: ergo neque post.

8. DICES: Post impositam significationem includit conceptum imponentis, quo mediante ducit intellectum audientis in notitiam rei significatæ: & quia nullus conceptus imponentis ducere potest in notitiam quidditativam Dei, nullum nomen imponi potest ad significandam quidditatem Dei. Sed contrâ, quia conceptus imponentis importatus per nomen, non est, quo mediante audiens duci debeat in notitiam rei significatæ: tum quia si deberet audiens medio conceptu imponentis devenire in notitiam rei significatæ, nunquam posset devenire in notitiam intuitivam rei, cum nullus conceptus imponentis, per nomen significatus, ducere possit intellectum audientis in intuitivam notitiam rei, per conceptum significatæ, ut ex dictis constat. Tum quia conceptus imponentis, per nomen significatus non concurret physicè cum intellectu audientis ad notitiam rei significatæ, sed tantum moraliter; quia si physicè concurreret, vel concurreret ut principium effectivum, vel ut medium cognitum; non ut principium effectivum,

Augustin.

Scotus.

effectuum, quia conceptus vnus non est principium effectuum respectu intellectus alterius, cum huiusmodi actus immanentes non habeant vim agendi extra proprium subiectum: neque ut medium cognitum, quia nihil potest esse cognitum, nisi physice influat cum potentia ad cognitionem sui; nam cognitum est effectus formalis cognitionis, cognitio autem originatur à cognoscente, & cognito, teste Augustino 9. de Trin. in fine. Igitur cum tota vis nominis sit tantum morale signum rei significatæ, quo extrinsecè tantum excitatur intellectus ad notitiam rei significatæ in seipso gignendam, non est, vnde illi significatio diuinæ quidditatis repugnet.

9. Dico 2. Repugnat, viatorem imponere nomen, quod sit expressum quidditatis Dei alijs viatoribus, non autem comprehensoribus. Prior pars constat, quia cum nomina sint symbola, quibus vtimur ad exprimendas res, medijs animi conceptibus, nequeunt imponi ad exprimendas eas res, quas percipere non valent ijs, qui debent nominibus vt, alioqui frustraneum esset, ijs talia nomina imponere. Cum igitur nequeat viatores Deum quidditatiuè cognoscere, nequit ijs tale nomen imponi. Ex quo sequitur, neque Deum, aut beatos posse tale nomen viatoribus imponere, contra Scotum aientem, esse aliqua nomina in Scriptura, quæ Deum quidditatiuè significant, vt est nomen illud vulgatum, *Iehoua*, seu *qui est*, quod Græcè, ex eo quod quatuor litteris Hebraicis constat, *Tetragrammaton* dicitur.

10. Posterior pars probatur; nam esto nequeat qui nomen imponit rem significatam perfectè percipere, potest tamen illud alijs imponere, qui rem significatam perfectè concipere valent: ergo etiam si nequeant viatores Deum quidditatiuè cognoscere, possunt tamen nomen Deum quidditatiuè significans imponere beatis, qui Deum intuitiue cognoscunt. Antecedens probo, tū quia potest quis imponere nomina rebus, quas tantum abstractiue cognouit ijs, qui illas intuitiue norunt: potest enim quis imponere nomina ijs, qui res viderunt, etiam si ipse non viderit, sed tantum audierit. Tum quia, & est ratio à priori, nomina non alio modo significant res, ad quas exprimendas imponuntur, quam excitando audientem ad notitiam tum rei significatæ, tum conceptus imponentis consignificati in seipso gignendam: atqui nomina audientem nō excitant medio conceptu, sed media voluntate imponentis: ergo etiam si imponentis non habeat quidditatum conceptum rei significatæ, modò habeat voluntatem nomē imponendi, poterit tale nomen excitare audientem ad quidditatum conceptum rei significatæ formandum, si ille habeat completam potentiam ad talem conceptum in seipso formandum. Maior ab omnibus conceditur. Minor, in qua tantum est difficultas, probatur; quia nomen non alio modo excitat audientem, quam vt signum rememoratiuum voluntatis institutoris, reuocando illam in memoriam audientis.

Qua excitatione posita solus intellectus audientis gignit in seipso notitiam tam rei significatæ, quam conceptus consignificati, abstractiue, vel intuitiue iuxta speciem, quam de re significata audiens habet.

11. Confirmatur: Nam catenus non posset viator imponere nomē expressum quidditatis Dei beatis, quatenus deberet nomen à viatore impositum, per ipsum conceptum viatoris nomen imponentis, esse beatis medium seu mensura cognoscendi Deum in seipso: atqui medium seu mensura cognoscendirem significatam, non est conceptus ipse imponentis, sed mensura physica est sola potentia cognoscentis, quæ in audiente præsupponitur ad rem ipsam significatam cognoscendam: mensura verò moralis est sola voluntas imponentis nomen ad talem rem significandam. Quæ voluntas per nomen importata excitat moraliter audientem ad gignendam in seipso notitiam rei significatæ, & simul conceptus consignificati. Quòd autem conceptus imponentis non sit ratio cognoscendi rem significatam, ex eo patet, quia nunquam conceptus imponentis potest esse ratio cognoscendi rem intuitiue, ad quam significandam imponitur: cum tamen in omnium sententia multa sint nomina imposita ad significandas res intuitiue, cuiusmodi sunt illa, quarum nos viatores intuitiuam notitiam habemus. Hæc enim nomina imposita sunt ad significandas res intuitiue, cum tamen eas intuitiue non cognoscamus vi nominis, aut conceptus importati per nomen, cum ille non possit nisi in abstractiuam notitiam ducere, sed virtute ipsius cognoscentis. Igitur conceptus imponentis non potest esse ratio, & mensura cognoscendi rem significatam.

12. Ex dictis deducitur 1. posse aliquem imponere nomen ad distinctius significandum, quam ipsemet nomen imponens intelligat; non quidem sibi, sed alijs, qui ex propria virtute nominis significatum distinctius percipere valent, nam ad hoc sufficit voluntas imponentis, acceptata ab audientibus, potentibus rem significatam distinctius percipere. Cum enim tota vis percipiendi significatum nominis supponatur in audiente, & nomen ad nihil aliud deseruiat, quam ad excitandam mentem audientis, vt rem significatam percipiat iuxta voluntatem imponentis, poterit quis imponere nomen ad distinctius significandum, quam ipsemet intelligat.

13. Dices. Ergo etiam poterit nomen imponere qui nullo modo rem cognoscit. Sed negatur consequentia: nam cuius nulla præcessit cognitio, nulla subsequi potest voluntas: at cuius aliqua saltem confusa præcessit cognitio, poterit subsequi voluntas distinctè rem cognoscendi, aut alteri significandi, vt patet, cum ex cognitione confusa voluntas mouetur ad distinctam notitiam acquirendam.

14. Deducitur 2. Nullum nomen imponi posse Deo. Fundamentum est, quia nomen debet esse signū excitatiuum respectu illius,

cui im-

cui imponitur ad rem significandam percipiendam, aut saltem per nouam reflexionem illam eandem cognoscendi: quod addo propter beatos, qui Deum semper actu vident, vnde audito nomine, Deus, quidditatem exprimente, non eliciunt nouam visionem Dei, sed nouam dumtaxat reflexionem, quâ cognoscant, nomen Deus significare illum eundem, quem ipsi semper actu vident: Atqui respectu Dei nullum potest esse signum excitatiuum, neque ad nouum actum, neque ad nouam reflexionem: igitur nullum illi imponi potest nomen.

15. Deducitur 3. Non posse imponi nomen, quod Deum comprehensiuè exprimat. Fundamentum est, quia quando implicat qui possit nominis significatum percipere, implicat, & ipsum nomen: atqui implicat qui possit vi nominis Deum comprehensiuè cognoscere: ergo implicat nomen, quod Deum comprehensiuè exprimat. Minor patet, quia qui deberet vi nominis Deum comprehensiuè cognoscere, esset creatura, cum Deus nequeat vi nominis seipsum cognoscere. Implicat autem, creaturam Deum comprehensiuè cognoscere: ergo. Maior verò probatur, quia nomen essentialiter est alicui significatiuum: igitur implicante perceptiuo significationem nominis, implicabit significatio ipsa nominis.

16. Deducitur 4. Omnia nomina, quæ tribuuntur Deo, imperfectè tantum, & confusè significare naturam diuinam. Ratio, quia omnia nomina sunt imposita ad significandum viatoribus; sed viatores nequeunt intelligere Deum, nisi imperfectè, & confusè: igitur omnia nomina imposita Deo ad significandum viatoribus, imperfectè, & confusè significant naturam diuinam. Consequentia patet, quia cum nomina sint symbola rerum, proportionari debent ijs, qui illis vtuntur. Ex triplici autem perfectione solent viatores Deum nominare, ex perfectione causalitatis, ex remotione alicuius imperfectionis, ex perfectione eminentiæ. Priora sunt connotatiua, vt *Creator, Gubernator, Dominus*, &c. Posteriora sunt composita ex duplici conceptu, positiuo imperfectionem includente, & negatiuo imperfectionem excludente, vt *Infinitas, Immenfitas, Illimitatio*, &c. Postrema sumpta sunt ex creaturis, & applicata Deo per conuenientiam in re ipsa significata, vt *Sapiens, Bonus, Iustus*, & his similia. Nullum autem ex prædictis nominibus attingit Deum secundum

proprium conceptum ipsius. Fundamentum, quia proprius conceptus rei attingi non potest, nisi vel immediatè per propriam speciem, aut concursum obiectiuum, vel mediata per adæquatum effectum, & proprietatem ipsius: atqui nullo ex his modis possumus Deum in hac vita cognoscere: ergo semper illum cognoscimus per alienum conceptum: ac proinde omnia nomina, quæ ad significandum viatoribus imponuntur, Deum significant per alienum conceptum.

17. Ad primum primæ Resp. Deum dici ineffabilem eodem modo, quo dicitur inuisibilis; quia effabilitas vel ineffabilitas sequitur cognoscibilitatem, vel incognoscibilitatem rei; vnde quâ ratione res est cognoscibilis, est effabilis, quâ verò ratione est incognoscibilis, ineffabilis est. Atqui Deus non est inuisibilis simpliciter, sed aut naturæ viribus, aut adæquatè & comprehensiuè: ergo nec dicitur ineffabilis simpliciter, sed aut naturæ viribus, aut comprehensiuè. Nam cæterum ex Aug. lib. 1. de doctrina Christiana cap. 6. *Pugna verborum est, dum ineffabilis dicitur ille, qui dicitur: Quoniam si, illud, inquit, est ineffabile, quod dici non potest, non est ineffabile, quod vel ineffabile dici potest.*

Augustin.

18. Ad secundum distinguenda est maior: ad hoc imponitur nomen, vt vi sua physicè audientem ducat in notitiam rei significatæ, nego; vt tantum moraliter & excitatiuè, concedo: hoc autem non repugnat nomini, vt ducere possit in notitiam quidditatiuam Dei, vt ex dictis constat.

19. Ad fundamentum secundæ distinguenda est posterior pars antecedentis: non potest quis nominare rem distinctiùs, quàm intelligat, conceptu, concedo; intentione, nego. Etenim conceptu nequit rem nominare, nisi quantum illam intelligit, quia nominatio per conceptum, est ipsa impositio nominis ad rem significandam mediante conceptu: potest tamen illam distinctiùs nominare, quàm intelligat, non sibi, sed alteri per intentionem; quia hæc non solum se extendit ad significandam rem, vt cognitam ab imponente, sed vt cognoscibilem ab audiente. Neque hoc est dare quod non habet; siquidem imponentis per voluntatem habet, vt possit imponere nomen ad distinctiùs significandum, quàm ipsemet intelligat: nam hoc non est aliud, quàm imponere pro immediato signo, distinctè alteri significante, ipsamet voluntatem imponentis.

